



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola III. Hadriani Papae IV. Ad Episcopos Galliae Et Germaniae. Petit
Fridericum corrigi, & ad restitutionem honoris induci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

dignitati, sicut ab ore nostro procedant, absque vlla hæsi-
tatione suscipias, & ipsorum verbis, tamquam si ea con-
tingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

EPISTOLA III.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

Petit Fridericum corrigi, & ad restitutionem
honoris induci.

QVOTIES aliquid in ecclesia contra honorem Dei & salutem fidelium attentatur, fratrum & coepiscoporum nostrorum, & eorum præcipue qui spiritu Dei aguntur, cura debet existere, vt ea, quæ male gesta sunt, gratam Deo correctionem debeant inuenire. Hoc autem tempore (quod absque nimio mœrore non dicimus) carissimus filius noster Fridericus Romanorum imperator tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum. Cum enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernardum tituli sancti Clementis, & Rolandum cancellarium nostrum tituli sancti Marci, presbyteros cardinales, ad ipsius præsentiam missemus, ipse, cum primum ad eius præsentiam peruererunt, alacriter visus est eos recepisse. Sequenti vero die, cum redirent ad eum, & literæ nostræ in eius auribus legerentur, accepta occasione cuiusdam verbi, quod ipsarum literarum series continebat, (insigne videlicet corona beneficium tibi contulimus) in tantam animi commotionem exar-
xit, vt conuicia, quæ in nos & legatos nostros dicitur con-
ieciisse, & quam inhoneste ipsos a præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire op-
probrium, & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, factō edictō, ne aliquis de regno vestro ad apostolicam sedem accedat, per omnes fines eiusdem regni custodes dicitur posuisse, qui eos, qui ad sedem apostolicam venire voluerint, violenter debeant re-
uocare. Super quo factō licet aliquantum perturbemur; ex hoc tamen in nobisipsis maiorem consolationem ac-
cipimus, quod ad id de vestro & principum consilio non

processit. Vnde confidimus eum a sui animi motu, consilio & persuasione vestra facile reuocandum. Quocirca, fratres, quoniam in hoc facto non solum nostra, sed vestra & omnium ecclesiarum res agi dignoscitur, caritatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus opponatis vos murum pro domo Domini, & præfatum filium nostrum ad viam rectam quam citius reducere studeatis, attentissimam sollicitudinem adhibentes, vt a Reinaldo cancellario suo, & palatino comite, qui magnas blasphemias in præfatos legatos nostros, & matrem vestram sacroſanctam Romanam ecclesiam euomere præsumperunt, talem & tam euidentem satisfactionem faciat exhiberi: vt sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam debeat reuocare.

Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret nouissima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Iustinianus & alii catholici imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cælis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, & beato Petro apostolorum principi gratum dependetis obsequium, & vobis & ecclesiis vestris conservabis libertatem. Alioquin nouerit antedictus filius noster ex admonitione vestra, nouerit ex promissionis euangelica veritate, quod sacroſancta Romana ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum turbine quatiantur, in sua firmitate, protegente Domino, in sæculum sæculi permanebit. Nec autem (sicut nostis) decere eum tam arduam viam absque vestro consilio attentasse. Vnde credimus, quod auditis admonitionibus vestris, facilime poterit ad frugem sanioris studii sicut vir discretus & imperator catholicus reuocari.

EPISTO-